

DE PRIMO PRAECEPTO.

M. 2. Adhaeret Deo, sincero corde amoris, non minus quando adimit, quam si dat bona externa, etiam post habitis parentibus, fratribus & sororibus, de quo Christus ipse loquitur, Matth. 10. Qui amat patrem &c. Exemplum habemus in Abrahamo, volente filium Isaac mactare, Gen. 22. Item in Davide, qui Psal. 73. inquit: Quid mihi est in caelo. &c.

3. Declarat se non esse fucatam, sed diligit mandata Dei, facitq; ei grata, juxta dictum Iob. 5: Hac est charitas Dei, ut mandata eius custodiamus. Hinc Bernhardus: Charitas destruit charitatem, qui carnalis spiritualem, & spiritualis carnalem. Greg: Qui adhuc per illicita desideria defluit, perfecte Deum non amat. Augustinus: Charitas & mortale peccatum opponuntur. Nisi unum radicitus avulsus fuerit, aliud plantari non poterit. &c.

N. 2. Causa impulsivae:

1. Mandatum Dei severissimum, Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. &c. Hinc Chrysostomus Hom. 42. in Matth. in opere imperfecto: Diligere Deum ex toto corde, est, ut cor tuum non sit inclinatum ad alterius rei, quam ad Dei amorem. Diligere ex tota anima, est certum habere animum in veritate, & firmum esse in fide. Diligere tota mente, est, ut omnes sensus Deo vacent. Itaq; cuius intellectus Deo ministrat, cuius sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea, quae Dei sunt, tractat, cuius memoria, quae bona sunt, recordatur, is tota mente Deum diligit. Psal. 31. Diligite Dominum omnes sancti eius. &c.

Explicatur, ita ut declaravit illum: { 1. Missione filij unigeniti. Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum. 1. Iohan. 4. In hoc manifestata est vobis dilectio Dei. &c. Fisch. Waltherus. 2. Donatione corporis & anima. &c. Ib. 3. Custodiâ bonorum angelorum. Fisch.

3. Videlicet 2. Immensa Dei bonitas & misericordia. Hac vero: ter. O.

Illustratur sententiis Patrum, ut, Bernhar: super illud Psalmi: Quid retribuam Domino. &c. Quando ignorabam, me instruxit: quando errabam, me reduxit: quando peccabam, me correxit: quando steti, me tenuit: quando cecidi, me erexit: quando ivi, me duxit: quando veni ad ipsum, me suscepit, & subdit: nec pro his omnibus, quid rependam habeo, nisi tantum ut diligam. Non enim melius, nec decentius, quam per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. Item. August: Dilige Dominum Deum tuum, qui peccatis tuis servire fecit unigenitum suum, qui dedit tibi in ministerium angelos, aerem cum volucris, terram cum germinibus, aquam cum piscibus. Et: Miser ego, quantum deberem diligere Deum, qui me fecit, quum non eram, redemit, quum perieram: Non enim eram, & de nihilo me fecit, non lapidem, non arborem, non aliquod de animalibus, sed hominem voluit me esse: dedit mihi vivere, sentire, discernere, reduxit me de exilio, redemit de servitio, vocavit me nomine suo: ut memoriale suum semper esset apud me, unxit me oleo laticiae quo ipse erat unctus, ut ab uncto essem unctus, & à Christo dicerer Christianus.